

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1217

Auteur(s) : Thomas, fils de Gosselin Le Cauf [particulier]

Bénéficiaire(s) : Raoul de Magny, Bayeux (sous-chantre)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1251, avril

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Thomas, fils de Gosselin dit Le Cauf, vend, pour 20 livres tournois, et garantit au même Raoul de Magny une rente annuelle sur une pièce de terre à Gueron.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesie Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCCCXXIX, t. 1, p. 161-162.

Dissertation critique

Pâques tombe le 16 avril en 1251 et le 31 mars en 1252.

Texte établi d'après a

Sciant omnes præsentēs et futuri quod ego Thomas, filius Gocelini dicti Calvi, defuncti, vendidi et concessi viro venerabili Radulfo, succentori Baiocensi, decem quarterios frumenti ad mensuram Baiocensem, et quinque solidos Turonenses de annuo reddito percipiendos, videlicet, dictum frumentum in quadam pecia terræ sita in territorio de Gueron, inter terram quam uxor Pinchehaste tenet de Domo Dei Baiocensis, ex una parte, et prata, ex altera, quam (sic) tenet de me in feodo Johannes Anglicus, de Porta Arboreta, per dictos decem quarterios frumenti reddendos, singulis annis, in mense septembris, et dictos quinque solidos Turonenses percipiendos per manum Johannis Guerardi de Mesnillo, ad Natale Domini, tenendos et habendos dicto succentori et ejus hæredibus libere, pacifice et quiete, jure hæreditario, sine ulla reclamazione mei vel hæredum meorum : ita quod dictus succentor, in quocumque statu sit, istum prædictum redditum poterit dare, vendere, vel obligare cuicumque voluerit ; et ne idem succentor, vel hæredes sui, prædicti redditus detrimentum in posterum patiantur, ego volo et concedo quod domus mea de Porta Arboreta, sita inter domum quæ fuit Lucæ Ladoube, ex una parte, et domum Willelmi Basin, ex altera, ipsis remaneat obligata, tali forma quod in eadem domo eidem succentori, et suis hæredibus, vel cuicumque prædictum redditum dare, vendere seu obligare voluerit, de prædicto reddito possit fieri excambium competenter, et etiam in toto tenemento quod de me tenet Johannes Guerardi, et quicumque alii firmarii mei, tam mobiles quam feodati, apud Mesnillum : ita tamen quod non possint dictus succentor et hæredes sui in toto tenemento meo aliquid petere vel reclamare, nisi pro reddito memorato. Pro hac autem venditione et concessione, idem succentor michi solvit viginti libras Turonenses in pecunia numerata. Et ut hoc sit firmum et stabile in posterum, ego Thomas præsentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Actum anno gratiæ millesimo duccentesimo quinquagesimo primo, mense aprilis.